



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

2. De vocum significatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

& multò pauciora comprehendit. Porro odores in nostra potestate non sunt; quemadmodum ea esse oportet, quæ notiones nostras representare debent: ut & illis vti liceat ubi libuerit, & variis modis fingere, ac formare. Aspectus, & auditus, seu colores & soni supersunt. Colores & sunt extrinseci, nec in nostra potestate; nec flecti facile ac formari possunt. Dubius tamen modis aspectui proponuntur notiores; aut gestibus, & nutibus, quemadmodum muti faciunt, aut frugando aliquid, ut picturis, litteris, characteribus. Vtrumque autem signorum genus plurimis modis ad innumerabiles notiones exprimendas variare licet.

Quamquam litteris non significantur immediate notiones, sed voces. Et idè illis vitur ad absentes aut ad eos, ad quos voces nequeunt pervenire: ad præsentem vitur voce. Vox. n. ad significantas notiones aptissima est. Tum quia temper est nobis præsto & in nostra potestate; potestque innumerabilibus modis fingi ac formari: ad eamque formandam habemus omnia instrumenta à natura. Tum quia sonus uniuersè aptus est aliquid indicare; ut sonus campanæ, tubæ, & similibus; atque in animalibus affectiones animæ significat, ut suspiria, gemitusque dolorem; plausus manuum læticiam. Vox igitur hominis perfecta & articulata fuerit aptissima ad notiones mentis representandas. Inde illud apud Platonicos, Per Os ingrediuntur mortalia, & egrediuntur immortalia; hoc est mētis conceptiones: & apud peripateticos; Auditus est disciplinæ sensus: quod sumptum est ex cap. i. li. de sensu & sensibili, ubi sermonem audibile, qui nominibus constat, quæ sunt rerum symbola, causam esse disciplinæ. Auditumque ad prudentiam conferre plurimum; & idè cæcos à natiuitate prudentiores esse surdis & mutis, docuit Aristoteles. Quemadmodum igitur vox est ad significandum aptissima, sic data est animalibus ad communicandum aliquid, quod intus lateret; animalibus plerisque dearticulata, ad affectiones aliquas animæ significantas; homini articulata, propter animi notionum communicationem. Quare quàm est illi propria hæc communicatio, nempe ut est animal sociale, intelligens, & politicum; tam est propria vox articulata.

Sed enim quoniam separata quoque mentes substantiæ sunt intelligentes, in quibus summa viget politia, ut Dionysius Areopagita docuit; nec tamen vocibus hisce vituntur ad conceptionum suarum communicationem; quæri merito possit, quenam sit in illis communicatio & loquutio. Sane in his quoque loquutio est; alia tamen, quàm in nobis, verum ad hunc locum, in quo de humana voce agitur, quæ sensu auditu percipiatur, non pertinet explicare, quomodo ea perficiatur.

In absoluta verò & perfecta hominum communicatione quatuor continentur. Primum res, quæ cognoscuntur. Deinde notiones, quæ de rebus formantur. Tum voces quibus significantur notiones. Postremò litteræ seu scripta, quæ vocum seu notionum sunt signa. In quibus sunt maximè quatuor consideranda. Primum notionum communicationem duplici eguisse signo, voce & scriptis. Quia. n. vox ad præsentem duntaxat pervenire potest, statimque cum ipsa pronuntiatione interit; ut cum absens, & posteris quoque communicatio esset, fuerit præter vocem necessaria scripta. Ad præsentem tamen voce potius, quàm scriptis, vitur; quo-

Vox, & scripta.

Angelo-  
rum lo-  
quutio.

niam promptior est, & expedita magis. Alterum; in his quatuor, quæ commemorantur, eum quoque quem præpositi, seruari ordinem. Nam notiones supponunt res ipsas, quarum notiones sunt: voces sequuntur notiones, quæ debent significare: vltima sunt scripta, quæ ob defectum & inconstantiam vocum adhibentur. quam ob causam Aristoteles initio lib. de interpretatione voces dixit esse signa eorum, quæ sunt in anima; & scripta esse signa eorum, quæ sunt in voce.

Tertium; in his quatuor esse duo, quæ significantur; res & notiones: & duo, quæ significant; voces & scripta. In quibus voces primum natura ipsa instigante fuerunt instituta, & per naturalia instrumenta formata; scripta verò planè ex arte; dum obseruatum est disfluere voces, & societatem tamen politicam communicationem cum absentibus & posteris indigere. Nec parum iuuit innata gloriæ, & immortalitatis cupiditas.

Quartum in hoc duplici signo voces significantur notiones & res, scripta autem representare & voces & notiones & res. Fuerunt. n. in vocum quoque defectum substituta, & per naturalia instrumenta quæpiam legimus, non solum autoris conceptiones & res ipsas noscernere, quemadmodum si vocem audiremus; sed audire quoque loquentem autorem nobis videtur. Cæterum quoniam de vocibus duntaxat propositum est hoc loco agere, de illarum significatione pluribus dicendum est.

Alteri digressionis pars. De vocum significatione.

Primum autem explicare oportet, quid voces significant. Signum illud esse existimamus, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, in alterius cognitionem deducit. Sic. n. sanctus Aug. definit in 2. lib. de doctrina Christiana cap. 1. & in Dialect. cap. 5. quemadmodum vestigio vilo aut fumo, transisse animal, aut subesse ignem cogitamus; significatque nil aliud est, quàm in alterius cognitionem deducere. Sed hoc commune est voci cum omni effectu. Vt. n. effectus ducit in cognitionem cause, à qua oritur; sic animalis vox indicat animal, à quo formatur; propter necessariam scilicet causæ & effectus connexionem. Significat autem animal illud viuere, quia nisi à viuente formari non potest. Deinde quòdnam sit illud animal: nec modo in specie, sed & in individuo: quippe ex voce cognoscimus an sit homo, an equus, an canis, & an sit hic, an ille. Tum etiam sentientis animæ effectus, iram, gaudium, dolorem. Hi enim excitantur in corde, aut certè non sine aliqua circa cor mutatione: voxque fit ex allissione aëris, qui ad locum circa cor inspiratur, & idè alia, atque alia cordis dispositio aliam atque aliam aëris allisionem vocis formationem adfert. Necessarium tamen non est, ut animal, dum vocem profert, intendat alteri affectum suum significare. Quoniam persæpè fit, ut affectu cogente nulloque alio præsentem edatur: quæ tamen affectus illius signum est, quòd apta sit eum significare; & si quod aliud adesset animal, illi nimirum significaret: quemadmodum fumus ignis semper est signum, quia ex eo nascitur, eumque ut effectus causam est aptus significare.

Cæterum quoniam humana vox non à sentiente appetitu dirigitur, sed à mente, vti aliquam habet notionem; siquidem propter politicam communicationem

municationem insituitur; & imperatur à voluntate, communicationem & explicationem notionum mentis iubente: significat etiam notiones hanc & conceptiones, tanquã causam, quia dirigitur ab intellectu illis formato; & ideo hanc aut illam vocem formante. Sicut artifex per artis habitum materiam quampiam format ad ideas illas quas animo concepit, exprimendas. Hinc est, vt nunquam loquamur, nisi notionem eius rei, quæ voce significatur, quæ profertur, conceperimus mente. Vt enim loqui possimus id, quod mente falsum esse putamus; voceque aliud ostendere, quàm in animo lateat: dum tamen loquimur, obversatur animo notio rei, quæ voce significatur: & dum etiam mentimur, id loquimur, quod cogitamus; nempe nos velle aliud exponere, quàm verum esse iudicemus.

Duobus tamen modis possumus profere voces rerum, quas mente non versamus: vel quòd aliud cogitantes proferamus; vt dum ea reddimus, quæ memoria tenemus, & interim aliò vagatur animus. Quemadmodum enim multi sunt gestus corporis absque attentione; ita & in loquutione euenit. Aut quòd errore & lapsu lingue vna vox pro alia pronuntietur. Sed hæ ipsæ voces aliam mentis antecedentem conceptionem supponunt; & ita semper vox aliquam animi conceptionem significat; nisi fortasse dum profertur vna vox pro alia, prolatabatur in aliquam, de qua nunquam fuerit cogitatum.

Supponit etiam cognitionem aliquam sensus, atque appetitus sentientis affectum. Nam & mentis notio ex sensuum cognitione oritur; & voluntas, quæ imperat vocem, plerumque ab appetitus sentientis affectu excitata imperat. Quare remotè & minùs propriè dici potest vocibus significari quoque sensu ipsas cognitiones, imaginationes & affectus. At quoniã animi notiones ipsarum rerũ similitudines sunt; sit, vt vocibus, quæ propriè notiones significant, res ipsæ quoque significantur, quarum notiones habemus. Et quoniã mens nostra est apta res omnes intelligere, omniumque notiones format; voces quoque sunt aptæ res omnes significare.

Sed de hac significatione duo præsertim disputantur. Alterum, quidnam primùm significet, notionesne, an res. Alterum, an hanc significandi vim habeant à natura, an ex hominum voluntate.

Quid propriè & primùm significant, antiquos quoque dubitasse refert ex Porphyrio Boëtius in 2. Editione in librum de interpre. Com. 2. Quibusdam enim significarunt res corporeas, alijs incorporeas quædam & vniuersas naturas; quales Platonis Ideæ fuisse dicuntur. Alijs sensus, seu ipsorum cognitiones. Alijs imaginationes, quas de rebus formabant, Aristoteli notiones animi, vt ex illius libri principio satis colligitur: quæ quidè notiones nec sunt res corporeæ, vel incorporeæ; sed earum similitudines: nec sensuum cognitiones, nec imagines; sed conceptiones mentis & intelligentiæ. Quæ tamen, sensuum cognitiones & imaginationes supponunt, quasi mediâ inter res ipsas & notiones mentis. Quod Platonem, Aristotelem, Speusippum, & Xenocratem, docuisse confirmat idem Boëtius com. primo. Igitur ex verbis illis Aristotelis in li. de interpretatione quibus ea, quæ sunt in voce, symbola esse dixit notionum, quæ sunt in anima; & scripta eorum, quæ sunt in

A voce; deducunt ferè percipatetici, vt Ambr., Porphyrius, Boëtius, Aueroës, & S. Thomas, voces primùm significare notiones animi, seu res cognitatas deinde per notiones res quoque ipsas, quæ in natura subsistunt. Quod etiam reliqui Græci confirmant, dum in lib. Categoriarum Philosophum scribunt de simplicibus vocibus agere, vt medijs notionibus res ipsas significant. Et Simplicius inter cætera vocem vt immediatè similem esse conceptionibus, & per conceptiones rebus, proximeque mouere & coniungere notiones discipuli & Præceptoris; easque rectè motas & digestas applicari rebus, atque ita fieri rerum cognitionem. Et S. Thomas eam habet rationem, quam multæ voces, vt homo aut animal, naturam abstractam significant, quæ non in rebus, sed in mente subsistit. Scotus tamen & multi Latinorum malunt primùm significare res ipsas, vt res sunt.

Quibus sanè concedam ego voces primùm esse ipsarum rerum, atque ad eas significandas fuisse primùm impositas; absoluteque & vltimò rerum, non notionum, esse signa. Hoc enim tum docuerunt Plato & Aristoteles; ille in Cratylo nomina docens similitudines quædam esse & quasi picturas rerum; hic in primo Elenchorum cap. primo nos inueniens ad disputationes adferre voces, quòd res adferre non possumus; & vocibus vt tanquam figuris. & in 4. lib. metaph. textu 28. rationem, quæ significat nomen, esse ipsam definitionem: quod autem definitione explicatur, non est notio, sed essentia rei. Tum ex ipsa vocum impositione cognoscitur. Primi namque impositores rebus, non notionibus, imposuerunt. Adduxit enim Deus (vt sacra testantur litteræ) ad Adamum omnia, quæ creauerat; vt videret quid vocaret ea; ipseque vocauit omnia nominibus suis. Nimirum nomina fuerunt imposita rebus ipsis, quæ à Deo creatæ fuerant; non mentis nostræ notionibus. Tum verò, vt auctor est Plato, impositores nominũ aliquã spectarunt proprietatè rerum & similitudinè cum nominibus, vt apta essent illarũ signa. Atq; in propositionibus totaque loquutione voces pro rebus, non pro notionibus supponuntur; illisque auditis intelligitur & concipiuntur res: quod satis indicat, tum eas rebus esse impositas; tum vt voces sunt & aliquorum voces esse dicuntur, res primùm, non notiones, significare. Præsertim quòd ad notiones significandas propriæ quædam adsunt voces; vt notio, conceptio, & his similes. Vt reliquæ, homo, animal, & eiusmodi aliæ, non sunt primùm ipsarum notionum; nec vt sunt res quædam, sed vt sunt signa rerum; hoc est vel vt primùm significant notiones, deinde res quoque ipsas, quæ notionibus significantur, tanquam verum & proprium significationis terminum; auditaque voce primùm concipiatur notio, tum per eam res quoque ipsa, cuius est notio; atque ita notio interuentu feramur in re: nõ quòd primùm feramur in notionem, sed quòd non possumus in re ferri, nisi eam concipiamus; & in eam ferri est eam concipere. Vel vt cum notio sit signum rei, loco illius ponatur vox tanquam aliud eiusdem rei signum. quo modo duo erunt rei signa, Notio, & Vox; & vtrumque immediatum, sed vnũ ponetur ob alterius defectum; ferique poterit, vt non significet rem sicut prius, sed solùm quia loco prioris est positum; & ideo aliquo modo dicetur prioris signum. Sed hoc non impedit, quòd minùs immediatè significet rem, sicut prius; nec

Ante-  
quã pos-  
sumus id,  
quod mente  
falsum esse  
putamus.

Voces  
rebus  
primùm  
imposi-  
tas fuisse.

Nã vo-  
ces pri-  
mùm  
res, an  
notiones  
signifi-  
cent.

facit, vt illud fuerit ad huius significationem impositum. sicut si loco imaginis Cæsaris ponatur A; & imago & A immediatè significabunt Cæsarem; sed tamen A. quoquo modo dicitur imaginis signum; non quòd ad eam significandum sit impositum, sed quòd illius loco ponatur.

Vt raris autem modo significantur res mediis notionibus, notiones sunt solum conditiones, quibus significantur res. Nam res quidem per se significantur, illisque imposita sunt nomina; sed nequaquam nominarentur, nisi conciperentur. Quam ob causam Plato eum dixit, qui imposuit nomina, imposuisse talia, quales concipiebat res: & nomen ipsum ex se vim habet significandi, & non per notionem; & ideo solo audito nomine, nec loquentis notione percepta, illius significatio percipitur. Sed notio conditio est, vt nomen significet; quia nisi fuisset in mente notio, non fuisset ad significandum cogitatum nomen. Ita conficitur, impositas quidem fuisse voces ad res ipsas significantas, sed eas significare interuentu notionis velut conditionis, tam ex parte rerum, quam ex parte vocum. Vnde etiam aliquæ voces non significant res, vt sunt in se, sed vt concipiuntur: quemadmodum videre est in propositionibus, in quibus veritas est & falsitas, compositio & diuisio, maxime propter intellectum & eius notionem, seu propter res vt concipiuntur. In simplicibus quoque quædam significant vniuersam naturam, vt homo; alia accidentia abstracta & quasi à subiecto separata, vt albedo: Hinc etiam ex proprietatibus rei cognitæ eam nominamus; & vt diuersis modis concipimus, ita diuersis rem eandem vocibus nominamus; vt in abstractis & conerctis vocibus manifestum est. Nec nominamus nisi ea, quæ ipsi concipimus, aliis communicemus. Voces verò prolata non significant rem, nisi præcessisset illius notio, atque in audientis animo notionem similem excitarent. Immo quia præcessit notio, formatur vox; eaque ponitur loco notionis ad significantam rem, quæ notione potius significari debuisset.

Scripta quoque formata fuerunt tanquam rerum potius, quàm vocum, signa. Scripta quoque formata fuerunt tanquam rerum potius, quàm vocum, signa: primumque significant res, et si non nisi mediis vocibus tanquam conditionibus. Ita tria sunt ipsarum rerum signa: sed notio immediatè & ex se significat; vox media notiones; scripta mediis vocibus: voxque sensilis accipitur loco notionis in sensilis, scriptaque permanentia vocum pereuntium loco.

Iam verò si non quaratur, cuiusnam sint voces, & cui sint impositæ; sed ad quodnam significantum iis vtamur, quidque primum dicent, non vt signa ad significantum imposita, sed absolute: videntur primum indicare nobis notiones, vt representant res, & per notiones res ipsas; quamuis primum ad significantas res fuerint impositæ. Voces enim ab homine prodeunt intelligente & cognoscente res, notionibusque accommodantur: & ideo hæc aut illa vox formatur, vt habetur hæc aut illa notio: immò in eum finem instituuntur, vt aliis notiones nostras pandamus, similesque in iis, qui audiunt, excitemus: At quoniam notiones sunt rerum, volumus etiam explicare res; seu notiones, quas de rebus habemus. Quare etiam impositæ rebus voces fuerunt, earumque vocibus vtimur; tum quia notiones sunt rerum & propter ipsas res; tum quia res notionibus notiores sunt. Et quamuis re-

Notiones  
con-  
ditiones  
quibus  
signifi-  
cantur  
res.

Scripta  
rerum  
potius,  
quàm  
vocum,  
signa.

Voces  
primum  
signifi-  
cantur  
notiones.

bus significantis impositæ fuerint; non tamen nisi media notione significant. Vt quemadmodum in impositione vocum ad significantas res notio est media inter res & voces; quia non imponentur rebus, nisi vt concipiuntur: ita sit etiam media in significatione, quasi conditio, ob quam voces significant res. Quòd fit, vt voces substituuntur notionibus; vt id, quod notiones non possunt, præstent voces. Nam si notiones nostræ essent æque alteri ac nobis notæ, non esset opus vocibus, sed ipse informando alteri satis essent. Quam ob causam voces dixit Philosophus immediatè esse notionum signa, & notiones rerum; scriptaque vocum, & confirmant mutorum voces, quæ eodem modo diuersas animæ affectiones indicant.

Sunt igitur in vocibus duo separanda; id, quod formaliter significant; & modus significandi. Formaliter significant immediatè & solum res; quibus illis solum impositæ sunt: ratione tamen modi significandi primum significant notiones; quia per notiones significant res. Quemadmodum album formaliter albedinem solum significat, at ex modo significandi indicat quocumque illius subiectum. Et rursum vel possunt voces considerari vt à dicente proficiuntur, vel vt sunt rebus ipsis significantis impositæ. Primo enim modo notiones significant, quæ in animo dicentis resident, & à quibus oriuntur. Altero autem res ipsas indicant, faciuntque, vt audientis animus in res feratur, quarum verè sunt signa. Vt enim formamus notiones de rebus, ita de illis loquimur, alios in earum cognitionem ducendo, & qualem nos de illis notionem habuerimus explicando. Ita philosophus in lib. quidem de interpret. voces notionum esse signa pronuntiat; sed in primo Elenchi. eas adiecit poni pro rebus tanquam vera illarum signa. Atque in Thæteeto Plato scripsit quidem, *ἡ δὲ λέξις*, id est sermo esse idolum cogitationis in mente: at subiecit in Cratylo, nomen esse picturam & similitudinem ipsius rei: duoque velut eius munera exposuit, docere nos mutuo, & distinguere res inter se. Itaque vox in ratione significationis notionem sequitur, quia illius loco substituitur & ab homine intelligente proficitur. Neque fieri potest, vt magis distinetè significet rem, quàm notionem: immò claris multò rem exprimit notio, quàm vox; quia magis immediata, & naturalis est illius similitudo: multo que melius formamus rerum notiones, quàm vocibus exponamus: nunquam verò melius eloqui possumus, quàm conceperimus.

Cæterum quoniam signum vel potest esse naturale, quod sua vi absque vlla hominum voluntate significet; quemadmodum vestigium significat animal, & fumus signem: Vel datum & ex institutione; quod non instat vi, sed ex hominum vel dantis voluntate rem quampiam indicat; sicut signum campanæ, signum est lectionis, aut concionis, hederæque vini vendibilis, & Iris ex diuina institutione non futuri diluuii. Hocque ipsum signum est adhuc duplex. Alterum prædicum, quod rem quoque efficiat, quæ significat: sicut verba illa Dei, Fiat lux, Fiat firmamentum; & verba, quibus Christus faciebat miracula, nostræque legis sacramenta ab eo instituta. Alterum Theoreticum, quod solum significat, & non efficit; vt pleraque alia: explicandum relinquuntur, quale signum sit vox.

In ea duo spectantur. Alterum, quod sit sonus quidam. Alterum, quod quidpiam significet, seu significantis.

significandi vim habeat. Sanè formatio ipsa vo-  
cis & illius soni est planè naturalis: tum quia  
est naturalis quædam actio, à qua est abstinere  
licet; si tamen ea fungamur, non possumus  
alio modo fungi, quàm eius natura postu-  
let. Tum quia à natura vim & instrumenta habemus  
omnia, quibus eam formemus. Significatio  
autem huius aut illius rei, in sonis quidem bestia-  
rum & in nostris quoque suspiriis, singultibus, tus-  
si & aliis similibus, quæ naturaliter erumpunt, est  
planè naturalis. Nam sine consilio & deliberatio-  
ne, solo naturæ impulsu, hæc omnia fiunt. At de  
voce hominis propria non videtur facile posse  
constitui.

Etenim Cratylus apud Platonem & Heraclitus  
apud Ammonium in libro de interpret. cap.  
de nomine; & Pythagorici apud Dexippum lib. 1.  
in Categoriis cap. 6. & Simplicium in expositione  
definitionis denominatiuorum, senserunt natura  
ipsa significare res tanquam earum similitudines;  
neque minus naturaliter res representari vocibus,  
quam speculis; atque vsque ad eò naturaliter res  
singulas proprium habere nomen, vt si illud profes-  
ras, aptè nominem; si aliud pronunties, ne nomina-  
re quidem dici possis, sed sonum edere, qualem  
corpora cetera vel inanimata edunt. Itaque sapien-  
tem voluit Cratylus non in eo laborare debere, vt  
rebus imponat nomina; sed in eo potius, vt inue-  
niat quodnam sit singulis à natura impostum; si  
enim propria ipsarum nomina cognouerit, res ip-  
sas quoque perfectè cognoscat. Et Pythagorici  
propterea negant nomina Omonyma, multiuoca,  
& similia; quoniam si res omnes proprium ha-  
beant à natura nomen, tanquam naturale sui si-  
militudinem, nomina omnia erunt synonyma &  
singula singularum rerum propria. Quippe fieri nò  
potest, vt idem nomen sit eodem modo diuersis  
rebus simile; neque vt multa nomina eidem sint  
rei æque conformia. Omonyma & multiuoca in-  
de habuerunt ortum, quod propriis ignoratis vno  
nomine coacti sumus multa significare & pluribus  
vocibus rem eandem adumbare; dum earum nul-  
lam videremus perfectè rem explicare. Quòd si re-  
rum singularum vnica sit vox; consequens erit,  
vnicum esse verum & ex natura rei idioma: Neque  
nomina ipsa esse indiuiduorum, sed specierum.  
Quoniam naturæ & proprietates rerum, quæ si-  
gnificantur, specierum sunt, & vniuersarum natu-  
rarum; rebusque singulis ratione speciei, & vni-  
uersæ naturæ insunt. Nisi fortasse indiuiduis quo-  
que & singulis rebus propria ex propriis earum  
proprietatibus imponerent nomina. Quocirca  
nominum impostio non nisi sapientissimi fuerit  
viri; qui perfectè naturas omnes rerumque omniū  
& vocum proprietates nouerit; vt singulas singulis  
possit accommodatè imponere. Non inquam prop-  
rias fingere voces, vt ait Cratylus, quæ conueniat  
rebus; sed eas solùm inuenire, quæ natura sua  
iam conueniunt.

Dicuntur autem esse à natura; non quoad exi-  
stentiam; tum quia re ipsa formantur ab homine,  
pendetque à voluntate eius, qui formare velit aut  
non formare. Tum quia si ipsa existerent, aut in  
humana mente existerent, & hoc non; quia per-  
cipiuntur auditu, & velut sensilia signa adhiberentur ad  
ea significanda, quæ latent in mente. Aut in rebus  
ipsis, quarum sunt voces; vel tanquam substantiæ  
ipsarum, vel tanquam accidentia. Vtrumque; absur-

**A** dum est. Adhibentur enim à nobis vt ipsarum re-  
rum signa. Tum quia si ipsæ à natura existerent, res  
quædam essent, aliaque haberent voces, quibus si-  
gnificarentur. Omnes enim res voce quapiam si-  
gnificatur; atque in infinitum progredieremur. Ve-  
rùm à natura esse dicuntur, quoad essentiam; hoc  
est talem similitudinem cum re, quæ inesse debet  
in vera & propria illius voce.

Quod hæc nimirum testare videntur, soni muto-  
rum à natura significant affectiones animæ; ipsæ  
que humane notiones naturalia sunt rerum signa;  
& idè eadem sunt apud omnes, sicut & ipsæ res:  
at voces adhibentur loco notionum; eodem igitur  
modo significare debent & eadem esse apud om-  
nes, vnumque conficere idioma, si propria singu-  
larum voces querantur. Præsertim cum in seruerit  
nobis natura vim formandi voces ad occultas ani-  
mi notiones ostendendas; sicut vim suspiriorum  
& aliorum huiusmodi sonorum dedit ad affectio-  
nes cæteras significandas. Quòd si vox ipsa quid-  
piam est naturale, quidni etiam formalis eius ratio,  
& actio sint naturales? ratio autem formalis est vis  
significandi, & actio significare. Quare est in-  
numerabilibus modis variari possint voces; in totà  
tamen hac multitudine quædam sunt, quæ natura-  
les & propriæ similitudines rerum sunt; vnaque  
magis conuenit vni rei, & alia alteri: vt quælibet  
tandem res ex tota illa multitudine eligat vnam,  
qua naturaliter significetur.

Vis etiam magna, quæ in vocibus quibusdam  
inesc, non potest nisi in naturam referri. Inesse au-  
tem vim, confirmant Magi, qui verbis alliciunt  
dæmones & vincunt, & omnino admirabilia faci-  
ciunt. Et Hæbrei referunt, apud præcos conserva-  
tam fuisse per traditionem nominum cognitionem,  
hisque solis eos fecisse miracula. Apollinem quo-  
que & Pythagoram ferunt quibusdam vocibus  
mira quædam fecisse; & Marcellus Ficinus in 7. lib.  
de studiosorum vita cap. 21. non pauca memorat.

**D** Arius Patrensis apud Ammonium præces adfert &  
imprecationes, in quibus nostra nomina pronun-  
tiata euidenter iuuant, aut lædunt nominatos. Cer-  
tè rem eandem animaduertimus, vt aliis atque aliis  
vocibus proponitur, mouere, aut non mouere eos,  
qui audiunt; quasdamque esse in vno idiomate  
voces, quæ alio non satis exprimentur. Quam ob  
causam cogimur sæpè Græcis vocibus vt, quòd  
earum vis Latine reddi satis nò possit. Et Origenes  
in 1. lib. cõtra Celsam inter cetera monet, hæbreas  
quasdam voces non debere alio idiomate propo-  
ni, propter magnam vim, quam in se continent; &  
omnino de nominum vi multa habet Plinius in  
lib. 28. cap. 2. In nominibus quoque imponendis  
hominibus magnus habetur defectus; quasi aliqua  
vis subsit ad mores atque actiones omnes huma-  
nas dirigendas: & in his Pythagoras numerum vo-  
calium potissimum spectauit. Putabat enim vt  
Plinius refert cap. 4. eiusdem libri, imparium nume-  
rum clauditates, oculorumque orbitatè mac similes  
casus dextris partibus, parum autem laeuis adferre.  
Et vniuersè tria præsertim considerabant Pytha-  
gorici, fatum, genium, & nomen. Quartum addit  
nonnulli, regionem. Quæ omnia si conueniant,  
optimè nobiscum agi, si sint bona; pessimè, si mala:  
quòd si non conueniant, varia fore euenta; vt illo-  
rum vnumquodque maiorem, aut minorem ha-  
buerit vim. Denique musica quoque, dum sonis  
quibusdam & vocibus minis distinctis constat,

Quomodo  
autem ostendat  
res ex hominum  
institutione  
significari.

maximam in animos nostros vim habet.

Iam aduersus hanc vocum rationem cum Cratylo Hermogenes disputat Socrate iudice: contraque contendit eas ita esse positione & hominum institutione, ut quilibet possit rem quamlibet qua libuerit voce recte nominare. Cum enim Protagoram sophistam audisset, res ipsas quoque credit ex nostra voluntate pendere; remque vnamquamque esse ealem, qualis videtur nobis, ut est in Theeteto & apud Ammonium in Categoriā ad aliquid. Diodorus quoque Dialecticus apud eundem in librum de interpret: significationem vocū planē voluntariam esse existimans, vocem omnem significantem esse eredit: & idē seruis suis conjunctionum voces, atqui, sed, vel, & alias similes, imponebat. Nullam verō inesse vim à natura, tum ex idiomatum diuersitate colligi potest: singulæ enim gentes voces sibi proprias liberè excogitant: resque & notiones sunt eadem apud omnes, quia naturales; voces autem diuersæ, quia liberæ. Tum ex plurimis omonymis & multiuocis vocibus in vnoquoque idiomate; quæ nullæ reperirentur, si voces naturaliter significarent. Quoniam vnica esset vox, ut naturalis similitudo vnus rei, & singulæ singularum rerum propriæ, sicut notiones mentis. Quare in rebus & notionibus nulla est omonymia; nec vnus rei nisi vna notio; quia hæc sunt à natura. In solis vocibus hæc idcirco eueniūt, quod liberè adhibetur, vel vna ad plures res significandas, vel plures ad eandem rem indicandam. Quò etiam crebra spectat mutatio vocum in eodem idiomate: ut res, quæ vna voce antea appellabatur, illius mox pereunte vsu aliam subeat appellationem. Et appellatio plurimarum rerum arte constantium: quæ à natura esse non potest, cum naturalium rerum non sit significatio eiusdem vocis diuersa & interdum opposita apud diuersas gentes. Nam (mane) Latinis primam diei partem significat, & Hæbreis piscem: eiusmodi plura habet Scaliger in 3. li. de causis linguæ Latinæ cap. 6. immò in eodem quoque idiomate eadem vox diuersa est significationis: sicut eadem vox (mane) Latinis aliter significat, si deducatur à verbo maneo: & eadem vox prout alio atque alio modo cum aliis coniungitur, alio atque alio etiam significat: ut audio tibi, & audio te; & huiusmodi plurima. Adde litteras ipsas seu elemēta, ex quibus voces constāt, ex hominum profus institutione esse; ac proinde integras quoque, quæ ex illis constant, voces eorum voluntati debere relinqui. In exponenda verò ratione significationis vocum, cur hanc aut illam rem significant, an non plerumque deducimus eas ex aliis vocibus? ut verbum à verberando aëre. Nisi ergo in infinitum eamus, veniendum tandem erit ad aliquas primas, quæ non deducantur ex aliis, nec aliam præter hominum impositionem habeant causam.

Per multa ex his attingit Alexander in 3. lib. natural. quæst. cap. 11. sed aliam quandam præcipuam rationem exposuit. Habemus enim à natura vim imponendi nomina singulis rebus; sunt igitur nomina ex nostra positione, non à natura. Nam si essent à natura, non possemus ea imponere, sed ante nostram impositionem existarent. Quemadmodum enim habemus quidem à natura vim recipiendi scientias, eas tamen à natura non habemus, sed ipsi studio nobis comparamus; ita vis imponendi nomina est à natura, non ipsa nomina. Nam ut non

A diceremur scientiarum receptiui, si eas habemus à natura; ita nec nominum impostiui, si ea à natura forent. Aristoteles quoque in lib. de interpret. nomen definiuit esse vocem ex institutione significantē: & Plato in Cratylo nomina imponi à legislatoribus, quorum alij sunt aliis sapientioribus; & idē meliora, aut peiora nomina formant. Et ut oratio coniuncta, quæ affirmat, vel negat, vera potest esse, aut falsa, quia conuenienter rebus aut secus coniungere possumus vel diuidere: ita in simplicibus vocibus alię possunt esse veræ, alię falsæ; ut fuerint apte vel inepte rebus impostæ. Cum enim sint rerum picturæ quædam; ut picturæ possunt interdum non recte fieri, sic voces secus, quin oporteat, aliquando possunt imponi.

Præterea nomina ferè sunt duorum generum, vt docuit Plato, & S. Augustinus in Dialectica cap. 6. Alia, quæ deducuntur ab aliis; alia, quæ sunt quæ prima: Plato vocat elementa, & S. August. cum ab alia cæterorum. In his potissimum considerari syllabas & litteras, quibus constant, præcipit Plato: ut intelligatur, an sint rebus ipsis satis accommodatæ. Ex his autem deducuntur plurima, apteque deducuntur ab his, à quibus significationē rei significatæ accommodatā accipiunt. At qui primorū illorum formatio nobis est planē libera; sitque per se, ut litteris constent, quarum proprietates significatis rebus non conueniant. Quare significare non possunt ob similitudinem aliquam, cum nullam habeant, sed ex hominum conuentione, qui ea voce voluerunt rem eam significare: atque in paucissimis similitudinem aliquam adferas, quæ aut fortuita nō videatur, aut planē ficta. In his verò nominibus, quæ ab his deducuntur, quilibet ferè liberè deductionem fingit: ut verbum à verberando aëre, vel à verberanda aure, vel à vero & loqui, quia oportet vera loqui, vel à vero boando, id est sonando, vel etiam aliis medijs. Immo idem nomen deducitur interdum à diuersis nominibus, quæ contrariam significationem habebunt, & ab eodem etiam deducuntur nomina contrariarum rerum; vt Plato commemorat.

Ad extremum etsi quorundam nominum affertur possit ratio; in his tamen ipsis locum habet impositio libera: sunt enim diuersæ rerum proprietates, quæ diuersis possunt nominari nominibus. Quare liberum adhuc relinquitur ex quacunque volueris proprietate nomen accipere: quique hactenus impulerunt nomina, imposerunt ea sibi cognita proprietate, atque opinione, quam de rebus habebant: quæ fortasse ex aliis proprietatibus & opinionibus aliquando mutabantur. Præsertim quod primi, qui nominarunt, rudes ferè fuerunt, & ignari naturarum rerum: ut omnino non videantur sequuti proprietates, sed voluntatem suam.

Hæc videntur pro vtraque parte disputari posse de vi significandi vocum. Plato & Aristoteles in medio quasi totius controversiæ iudices constituerunt. Nam Plato ita dixit esse à natura; vt non à quolibet, sed à solo sapiente res quilibet nominetur; vt vox naturæ rei aliquo modo conueniat. Aristoteles autem ab hominum quidem impositione eas esse, sed aliqua spectata proprietate ac similitudine cum re. Neque nisi vocibus differre videtur, re ipsa conuenire; partim esse à natura, partim ex hominum impositione. Non enim temerè, sed propter aliquam proprietatem & similitudinem fuerunt

fuerunt ad res significandas impostæ.

Principiõ igitur Cratylõ & iis qui priores partes tenent, concedi potest, vocem vniuersè spectatam esse sua natura aptam ad animi notionem, & res significandas; propter naturalem quandam cum illis similitudinem. Nam sola vox ex sensibus omnibus, vt antea dictum est, apta est significare: quare aliquam in ea naturalem aptitudinem esse, oportet, quæ in aliis non sit. Vnde etiam à natura, seu diuina potius sapientia in eum vsus fuit instituta; non minus, quàm dearticulatæ mutorum voces, quæ naturaliter indicant affectus animi. Vocalia quoque instrumenta omnia naturalia sunt, & illorum vsus naturalis; ac principium dirigens est intellectus habens notionem, & voluntas imperans eam explicari alteri: non secus, atque in mutorum vocibus affectus animi, & appetitus sentiens. Quam ob causam dixit Alexander nos habere à natura vim imponendi nomina, quemadmodum habent muta vim indicandi affectus animi. Finis etiam est naturalis, mutua inter nos communicatio & societas. Materia quoque naturalis, nẽpe sonus quidam à natura protectus. Denique vt Plato scite obseruat, mutus, quia vocibus caret, eo modo, quo potest, conatur, instigante natura, suas notiones, & res explicare, atque in inchoatam aliquam vocem prorumpit: sed cum eam absolueri nequeat, ad nutus & signa sese conuertit; quibus id assequitur, quod assequutus voce fuisset. Quare vt actiones illæ, quæ vocis loco substituantur, indicant res ex naturali similitudine; ita de voce idem credi potest. Nec modò de voce vniuersa, sed in specie quoque probabilis videtur, quamlibet vocem habere quãdam cum speciebus similitudinem; atque ex natura sua hæc, aut illa rem significare, singulique propria conuenire nomina. Vt n. mutus in specie quoque nutus accommodat & gestus corporis singulis rebus, quas significat; vt illi rerum similitudines sint, & idè eas representent: ita vocem credendum est significandis rebus conformari: at non quibuslibet, sed similibus, vocibus res quæque significantur. Quò fit, vt quemadmodum mutus gestus manuum, aut aliarum corporis partium rebus accommodat illis quæ rem conatur representare: sic loquentes oris motum, linguæ, ac cæterorum vocalium instrumentorum ad talè formandam vocem accommodamus, cui in sit similitudo rei. Ita interdum asperam vocem formamus, interdum lenem & suauem, acutam, grauem, aut aliis modis, pro rerum diuersitate, quas volumus significare. Cum dicimus (tu) intendimus labia & spiritum in eum, quem alloquimur: contrà verò in nos, cum dicimus (ego) & similiter (tibi, & mihi) vos & nos, vobis & nobis, & similibus; vt Pub. Nigidius obseruauit apud Aulum Gellium lib. 10. cap. 4. Immodò in ipsarum litterarum formatione, quibus vox constat, os conformatur ad rotundam figuram, dum formatur O; agitur lingua, dum formatur R. comprimitur ad dentes & retrahitur, dum formatur T; & ita in aliis, vel ex motu, & figura vocalium instrumentorum in formatione vocis, vel ex aliis similibus fieri possunt in vocibus similitudines quædam, quibus res ipsæ naturaliter representantur. Vt sicut res ipsa est aspera tactu vel gustatu, ita vox auditu sit aspera, & in aliis simili modo. Certè si vniuersè vox sua natura sit apta significandis rebus propter similitudinem quandã; etsi in particulari plures voces formari queant,

A quibus res eadem significetur; eæ tamen infinitæ non sunt, sed certus est earum numerus; qui ex diuersis proprietatibus sumitur, quibus eæ possunt fieri similes rebus: est que inter eas aliqua, quæ maxime similis sit, & apta sua natura ad rem representandam. Nec rectè dedisset natura vocem ad significandas res, nisi aliqua inter illas esset proportio. Neque cuiusuis est imponere nomina, sed sapientis, qui rerum proprietates cognoscat. Hæc enim omnia ostendunt aliquam inter rem & vocem similitudinem esse debere. Nam vt ratiocinatur Plato, quemadmodum oratio vera dicitur, aut falsa, ita simplices illius partes, nempe voces, aliæ sunt veræ, quòd rem accommodatè significant; aliæ falsæ, quæ secus proponant quàm sit. Vt enim actio quæuis artis, & bene fieri potest, & malè; atque vt bene fiat, adhibetur aptum & proportionatum instrumentum: ita vt loquutio bene fiat, non quibusuis vocibus, sed accommodatis rei, de qua loquimur; fieri debet. Et vt artis instrumentum, vt rectè fiat, non à quouis fieri debet, sed à perito; & eo modo, quo ad opus est aptum; sic voces non à quouis, sed à perito sunt imponendæ; eoque modo, quo aptæ sunt rei, quam significant, representandæ. Quam ob causam ducunt nos in eius cognitionem, vocanturque picture rerum & simulacra, & ab Aristotele ymbola, & à Platone instrumenta substantias rerum discernendi, & docendi. Eoque reprehendimus, qui temerè mutant rerum nomina, & fingunt noua. Sed Platonis iudicio vt de eorum impositione optimus index est Dialecticus; ita vt rectam eorum rationem discamus, ad eundem sophistæ sunt vel Poætæ. Dialecticus Platoni maxime omnia nouit; sophista maxime calumniatur; Poëta imitationis est studiosissimus, iudicareque potest, num aptè nomina rerum naturas imitentur. Et nos cum reddimus causam significationis alicuius vocis, aliquam ostendimus habere similitudinem cum re.

D Potest autem esse similitudo vel effectus; vt enim lana vel res lenes leniter afficiunt tactum, ita hæc voces, lana & lenes, auditui lenes sunt: idemque de melle, amaro, dulci, acri, & similibus dicitur. Vel soni; vt terribile, bomba, tonitru, ballatus; vel Ethymologie; vt homo ab humo, vel ab humanitate, & lapis à la dendo pede. Vel continentia, seu rei contenta; vt vrbs ab orbe quòd quasi in orbem contineat; & Horreum, quasi hordeum, quòd eo continetur; aut aliis similibus modis. Immodò verò non solùm similitudo passiva, sed aliqua etiam sympathia videtur inesse vocibus. Quoniam pulsata vna chorda pulsat aliam; ad hominis vocem animalia cætera terrentur; & ad cantum galli leo; & ad strepitum ferri horret homo.

Quocirca probabile est id, quod Origenes & Philo in lib. de opificio mundi & alij plures docuerunt; in Hæbræa præsertim lingua eiusmodi voces extitisse, quæ cum maxima naturali similitudine significarent. Ortum enim habuit ab Adamo, in quo summa fuit sapientia & naturarum cognitio, ac proprietatum omnium rerum, vtrumque cum illis conuenientia: atque in vocum impositione credendum est eum proprietates rerum fuisse sequutũ. Quorsum enim narret historia sacra, Deum adduxisse ad Adamũ omnia, vt videret, quid vocaret singula; & vocasseque illum nominibus propriis; & quod ipse vnumquodque vocauit, hoc esse illius nomen; nimirum vt ostenderet, eum vidisse, id est

Dialecticus  
sophista  
& Poëta

Similitudo  
passiva  
et  
sympathia

Hæbræa  
vtrumque  
conuenientia  
et  
similitudo

considerasse quemadmodum vnaqueque res conuenienter esset vocanda; & ita vocasse, vt illud esset cuiusque nomen, hoc est maximè illi naturæ accommodatum eamque aptissimè explicans. Quod etiam obseruauit Cæsariensis Eusebius in 11. lib. de præparatione Euangelica cap. 4. atque ex eo intelligi potest, quòd & is sapientissimus erat, & optimè nouerat, quomodo singula possent quàm optimè uocibus exponi; & linguam illam Deo præcipiente instituebat tanquam omnibus communè futuram: eratque in eo perfectissima humana natura scelere nondum uitiata; ac proindè perfectissimus debebatur illi modus nominandi res & suas aliis notiones explicandi. Ita vt absque vilo vilo uocum iam ob omnibus receptorum cum primùm quis uocem audiret, propter naturalem similitudinem cum re significata, intelligeret statim, quid ea significaret. Confusio autem & uarietas linguarum principium habuit in ædificatione Turris Babel, atque ex peccato orta est. Vt credendum sit, opinionem illam, nomina esse à natura, ab Hebræis ad Græcos, vt alia permulta, deriuatam fuisse. Et idè tam creber apud Philosophos fuit de uo nominum sermo: indeque Chabalistarum errores. In Hebræa autem lingua inter omnes maximam inesse vim significandi, non solum in integris uocibus, sed & in singulis litteris; uidere est apud Eusebium loco notato & S. Hieronymum in præfatio commeteriorum ad Ieremiam lamentationes. Cum enim sit antiquissima, & deducta ab humana natura integra; non est dubium, eam esse omnium præstantissimam & ad res significandas aptissimam. Quare in sacris litteris in nouorum nominum impositione ferè semper adfertur impositionis ratio, & similitudo aliqua & affinitas cum re, quæ nominatur.

Ex nominibus argumenta crebra.

Sapientes quoque homines omni tempore hoc imitati sunt, vt in rebus nominandis proprietatem & naturam reuoluerent: vt planum est ex principio Cratylæ, & Aristotele, qui sæpè ostendit nomina rerum naturis conuenire, atque ex nominibus ad rerum naturam argumentatur: vt in 2. physic. lib. tex. 63. ex nomine casus & in 4. lib. tex. 66. & 76. ex nomine uacui; & in 1. de celo tex. 22. & 1. meteor. cap. 3. ex nomine ætheris, & cap. 11. ex nomine guttæ & pluuiæ; & in hoc 2. de anima tex. 2. ex nomine Entelechiæ; & in lib. Categoriarum ex nomine Categorix, quod à iudiciis ad attributiones superiorum de inferioribus traduxit. Et in lib. de interpret. cap. 2. & 3. ex nomine & uerbo infinitis, quarum appellationum quoque rationem exposuit; & in cap. 4. ex nomine contradictionis: & vt multa omittam, ex nomine termini, ratiocinationis, figuræ, definitionis, & aliis similibus, tum in analyticis, tum alibi. Igitur præter hominum impositionem aliqua est in uocibus cum rebus similitudo.

Vocum duo genera.

Ceterùm duo sunt uocum genera, vt antea significatum est. In primis omnium uocibus, quæ ab alia nulla deducuntur, considerandæ sunt syllabæ & litteræ, simplicissimæ earum partes, ex harum enim similitudine tota similitudo & uis uocis confurgit; sicut ex coloribus singulis totius imaginis pictæ similitudo existit. omnium ergo litterarum, tam uocalium, quàm consonantium, spectandæ sunt proprietates; quæ aut ex motu oris oriuntur, linguæ, & aliorum instrumentorum; aut ex asperitate, vel lenitate soni, aliisque huiusmodi. Quæ uero deducuntur ex aliis, ita sunt

A deducendæ, vt aptæ sint ad rem significandam, ad quam deducuntur. Propterea deducere oportebit ab illis, à quibus similitudinem & vim aptam significandi accipiunt: quæ uel quæri poterit ex similitudine rerum, quæ significari debent; à quarum alterius uoce ad alteram significandam similitudo deducetur uox. Vel ex connexione aliquæ siue causæ & effectus, siue continentis & contenti, siue partis & totius, uel aliis similibus modis.

B Nihilominus temerè is & frustra laborauerit qui eiusmodi similitudines in omnibus quolibet uocibus. Nam post primum illum hominum innocentis statum, primasque uoces ab eo rebus omnibus impositas, quas eiusmodi fuisse uerimile est; tota penè hæc similitudo perit, propter nimiam linguarum & idiomatum confusionem, uocesque plurimas ab indocta potius plebe, quam à sapientibus uiris in communem usum impositas. Vt nunc aliqua duntaxat primæ similitudinis extent uestigia; non in omnibus, sed in quibusdam uocibus à sapientibus uiris impositis. In pluribus uero nihil apparet præter hominum uoluntatem & impositionem.

C Quòd sit, vt dicendum sit, significationem uocum cum partem esse ex hominum institutione, partem à natura. Nam etiam ab hominibus fuerunt impositæ, debent tamen cum rerum naturis conuenire, & propter proprietatem aliquam & similitudinem impositæ sunt; qua si quæ caret, non temerè impositæ iudicantur, sed ex longo usu aut potius ex imperitorum hominum abusu obtinuit, ut id significarent. Hinc uideri quidem sibi dicit Plato imponenda esse nomina ex aliqua similitudine; uerè tamen se, ne sit minus hoc similitudinis pondus, atque in multis adhibenda sit contentio.

D Testantur idem de Platone Alcino cap. 5. institutionis ad eius doctrinam, & Ficinus in Cratylum, & Eusebius cap. 3. lib. notati. Et Aristoteles in lib. de interpretatione uoces uocauit *σημεία*, signa & notas, non autem *ῥημάτων*, id est similitudines, sicut appellauit notiones; uocesque dixit diuersas esse apud diuersas gentes, notiones eadem. Quoniam illæ magna ex parte pendunt ex hominum uoluntate, hæc similitudines sunt ex rebus ipsis desumptæ. Et cap. 2. nomen definit esse uocem, quæ ex hominum institutione vim habet significandi. Quoniam, inquit, natura nominum nullum est, sed quando fit nota. Et cap. 4. orationem significantem esse, non ut instrumentum, sed sicut dictum est, ex hominum uoluntate. Quod Ammonius & peripatetici omnes confirmant. Et cap. 5.

E Rethores quoque liberam faciunt nouandorum nominum potestatem: & Aristoteles in lib. Categoriarum cap. de relictis id putat esse sæpè necessarium; ac præsertim in nominibus, quæ ad scientias pertinent, & res occultas indicant; ut obseruat Porphyrius & Dexippus de Categorix nomine agentes. Vt ridiculus iam sit Nigidius apud Gellium, si nomina ita esse à natura putauit, ut nunquam nouari possint. Non enim magis esse nobis naturalis sermo uniuersè, quàm particularis ille, qui nominibus illis naturalibus consistat. At à natura principium duntaxat habemus, quo nomina qualibet, & sermonem quemcumque formare possimus: quod quidem indicat uocem & loquutionem uniuersè naturalem esse, hæc uero, partim lam ex nostra uoluntate.

Non

Non sunt tamen temerè nouanda nomina. Sed quoniam cum rerum naturis consentire debent, solis sapientibus eorum impositio permittitur. Dumque ex hominum voluntate pendere dicuntur, sapientum voluntas intelligitur. Qui tamen ipsi nec in omnibus necesse est proprietatem aliquam spectent. Nam proprietates, ob quas vox potest esse similis rebus, ex solùm sunt, quæ conueniunt illi ratione litterarum. Quòd enim vox cum sono graui, aut acuto pronuntietur, ex accidenti est, eandemque semper rem significat. Litteræ verò paucissimæ sunt, ac proinde vix ex illis peti possunt proprietates ad infinitas propemodum res propria voce vocandas.

Ex quibus vltimò intelligitur, in vocum significatione nullam omnino vim naturalem esse; omnesque artes, quæ hac vi nituntur, ficticias esse & vanas. Si enim significatio naturalis non sit, sed ex impositione, quænam fuerit in significatione vis naturalis: Si igitur illa sit vis, poterit esse comparatione audientis; quia intellectio nostra pendet à phantasmate; vobesque, quæ ex impositione significant & repræsentant res, pro diuersitate rerum, quas repræsentant, diuersa proponunt audienti phantasmata; quorum vnum magis, quàm aliud, mouet & ad rem intelligendam excitat. Ita voces, quæ vehementiora & aptiora inducunt phantasmata, maiorem vim, quàm eæ, quæ imbecilliora & ineptiora, habere dicuntur. Propterea vna vox magis, quàm alia, rem eandem significat: & translationes magnopere mouent; quia plerumque ducuntur à rebus, quarum phantasmata sunt efficacia. Accedit vsus & consuetudo: voces enim quæ iam sunt in vsu, meliùs videntur nobis significare.

Quoniam tamen tota hæc vis nititur significatione, quæ naturalis non est, sed ex impositione; ideo neque illa naturalis dici potest. Quòd autem nominum vi multa legantur facta, fiantque à Magis: ea non vi nominum sunt, sed pacto cum demone ad homines decipiendos & in errore detinendos.

Possunt præterea voces vim habere naturalem, non ratione significationis, sed vt sunt sonus quidam, qui fit cum aëris motu. Vim enim habet mouendi auditum, vel cum delectatione vel tristitia, vel alio simili modo, pro varietate soni & aëris moti, qui cum tali, aut tali proportionem mouet auditum. Quam ob causam fortasse tantam vim habet musica; dum aër hoc aut illo modo motus, atque ab homine inspiratus eodem modo mouet spiritum; proque sonorum varietate variæ in animalibus affectiones excitantur, vt variis modis moto aère mouetur spiritus. Maneat igitur, voces non à natura, sed ex impositione significare; pleræque tamen ex aliqua rei significanda proprietate peti.

*Tertia Digressio Pars. De humana loquutione.*

Ex his vocibus humana loquutio constat. Sicut autem duo, quæ communi notione videntur loquutio inuolueret. Alterum, esse manifestationem obiecti, & notionis eius, quæ latet in mente. Alterum eiusmodi manifestationem esse debere, quæ apta sit fieri omnibus eiusdem ordinis, vt humana loquutio hominibus omnibus. Quare cum aliis pluribus modis vsurpetur hoc nomen, oritur in eo omonymia magna. Primum enim pro interna illa loquutione sumitur, quæ vnusquisque secum ipse

**A** cogitando loquitur, sibi que conceptiones suas, & res conceptas manifestat. De qua S. Augustinus loquitur in 15. de Trinit. lib. c. 10. adfertque multa ex sacris litteris. Inde ora duo distinguuntur; vnū corporis; alterū cordis, quo interna hæc loquutio constat, non minùs, quàm ore corporis perficiatur externa. Sanè vtraque verbum aliquod format; sed ex solis externæ loquutionis verbis diuersa constant idiomatica. Internum enim verbum neque Græcum est, neque Latinum, neque idiomaticum villo eotentum. Quamquam interna hæc non vsque adeò propriè loquutio dicitur. Tum quia non fit audienti: nam quòd idem ipse sibi loquens se ipsum audire dicitur: impropriè dicitur. Tum quia loquutio illa nil aliud est, quàm ipsa rei notitia, non autem eius manifestatio: neque per propriam actionem fit; sed per modum obiecti. Tum etiam quia si loquutio est manifestatio quæpiam; ea non fit sibi ipsi; sed alteri; cui sit ignotum id, quod vni est notum. Propterea nec intellectio rei loquutio vocatur, si accuratè loquamur; etsi quædam sit obiecti, quod intelligitur, manifestatio: manifestatur autem intellectui, aut si maus intelligenti.

**B** Opus igitur est, vt sit manifestatio alteri: & si sit manifestatio, necesse est sit aliquid rei ignote. Propterea directio nostratum cogitationum in Deum, seu loquutio cum illo dum oramus, nec dum loquutio propriè dici potest; quoniam cogitationes omnes nostræ sunt illi notissimæ; & ideo nihil illi manifestamus; neque est manifestatio ei, qui audiat, vel ignoret.

Præterea manifestatio quædam fieri potest obiecti per nouam quampiam operationem, aut circa obiectum, aut in facultatem, aut in aliud: quæ tamen reuelatio potius, quàm loquutio, dicitur; de qua in Moral. sapè S. Greg. & alij. Porrò hæc alloquutio, seu reuelatio, vel est à solo Deo immediatè per multiplicem eius, & occultam operationem in creaturam intelligentem; vel per angelos. Et quidem interdum fit per res ipsas sine verbo; vt cum Ezechiel electri speciem vidit. Interdum per res, & verba simul; vt cum in Paradiso audita est vox Dei deambulantis ad auram post meridiem. Nonnumquã internis solùm imaginationibus; quemadmodum Iacob dormiens vidit scalam. Aliquando etiam externis aëreis signis; sicut ex nube audita est diuina vox; Hic est filius meus dilectus, & c. Vel aëreis substantiis; vt Abraham vidit tres angelos: Vel terrenis, quemadmodum aëria Balaam loquuta est. Vel terrenis simul, & aëreis, sicut Deus loquutus est in rubo. Vel demum præsentia angeli in homine, vt quando angelus cum Zacaria loquutus est. Verùm has omnes constat propriè loquutiones non esse, sed manifestationes solùm obiecti per oblationem impedimenti.

Propriè igitur loquutio actionem eam significat, quæ ab intellectu provenit, seu dirigitur, quæ conceptiones ex se occultæ sensibus quibusdã signis naturaliter notis exprimitur, vt iis cognitis, deducatur is, qui audit, in cognitionem conceptionum loquutis, & rerum, quarum is cõceptiones habet, similes illis conceptiones formando. quam ob causam Trismegistus in Pimandro c. 9. intelligentiã prodidit sermonis esse sororẽ & vtraque sibi vicissim instrumenta. Nã neque sermo absque intellectio- ne pronuntiat, neque intellectio absque sermone prodit in lucẽ. Atque hæc in primis adesse oportet. Primum, sensibile aliquod signum, quod sensui obiectum in

NNN

Nomi-  
sum vi-  
nulla.

Musica  
vi.

Loquutio  
quid  
& quo  
implex.

Loquutio  
ex  
interna  
interna.

Loquutio cum Deo.

Loquutio Dei cum homine.

Loquutio proprie quid.

Loquutio quæ necessaria.